

Tarnadæ nomen obsolevit, et nunc vulgo ad S. Mauri-^A tium nuncupatur.

Marius ep. Aventicen. Chron. ad an. Christi 515: *Florentie et Anthemio consulibus monasterium Acauno a rege Sigismundo constructum est.*

Regulam vero Tarnatensem sæpissime citat S. Benedictus Anianensis abbas in Concordia regularum; et Smaragdus in Comment. ad Regulam S. Benedicti; Item Trithemius lib. de Propr. monachorum, cap. 3.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Hæc præsens Regula scripta est pro monachis in monasterio Tarnatensi sive Tarnadensi habitantibus, circa cujus situm inter eruditos haud minima est disceptatio; nam Mabillonius in Annalibus Benedictinis existimat hoc monasterium non differre a prioratu Tarnatensi aut Tarnayensi, inter Lugdunum et Viennam sito: dum ex Simlero citato aliisque magni nominis historicis constat illud juxta Rhodanum fuisse positum. In confesso enim est, Tarnadæ oppidum sub Octoduro ad sinistram Rhodani aliquando existisse satis celebre, ab antiquis Agannum nominatum, ob ejusdem nominis rupem, in cujus radicibus exstructum erat. Hinc monasterium nominatur aliquando Tarnatense, aliquando Augiens, et sæpius Cænobium S. Mauritii appellatur, ob patrocinium illius S. martyris cujus sacro nomini et illud dicatum erat; nam in hoc ipso loco S. Mauritius, Thebææ legionis dux, cum suis militibus a Maximo imperatore martyrium passus est, in cujus igitur sacram memoriam, ad instantiam quorundam piorum episcoporum, Sigismundus, Burgundiorum rex, hoc monasterium erexit circa annum 515, prout attata testimonia perhibent. Regula ergo hæc forsitan non nisi 7^o anno sæculi sexti litteris mandata fuit; existimat enim Calmetus, Tarnatenses monachos hanc Regulam compilasse, secundum laudabiles consuetudines in monasterio jam usitatas, atque ejus auctorem sive compilatorem visisse circa finem sæculi sexti, imo eundem esse, qui S. Lu-

gendi Vitam scripsit, mandante S. Marino Lirinensi abbate. Nec quidem admirari debemus, quod hoc monasterium gubernatum fuerit ab initio absque aliqua regula scripta, nam hoc primis monasticæ vitæ sæculis commune fuit, quod monachi viva voce et exemplo abbatis et Patris monasterii gubernarentur, quemadmodum de Lirinensi in Galliis, Hyensi apud hodiernos Scotos et Lindisfarnensi in Northumbria aperte constat. Interea hæc Tarnatensis disciplina, saltem quoad perpetuam in choro psalmodiam, etiam ad alia Gallicana cænobia transiit, præsertim postquam S. Apollinarius, Tullensis abbas, hujus monasterii curam susceperat circa annum 579, prout ex Fredegario ad annum 24 Guntrammi discimus. Nec sane magis refert quod eminentissimus Norisius in sua Pelagianæ hæresis Historia existimet quædam hujus Regulæ capita cum ipsa S. Augustini Regula pro virginibus scripta magnam habere connectionem, cum illis temporibus tanta existit ubique vitæ monasticæ unitas, ut diversæ scriptæ regulæ in præcipuis materiis non differrent, sed solum ab invicem discrepant in aliquibus ritibus et cæremoniis cultibus loco et communitati propriis. Hinc, nobiliores scriptores, imo ipse laudatus Norisius, agnoscent hanc Tarnatensis monasterii Regulam 23 capitulis constantem nunquam pro canonicis regularibus compositam fuisse, sed solis monachis adaptatam; nondum enim tales canonici in Ecclesia exorti sunt.

REGULA MONASTERII TARNATENSIS.

CAPUT PRIMUM. Si quis fidei ardore succensus, renuntians sæculo, monasterium magna dispositione elegerit expetendum, novitatu ejus non confestim licentia tribuatur intrandi; sed primum studiosius indagetur, utrum voluntarie, an necessitate aliqua coactus advenerit, aut si nulla servitutis conditione obnoxius teneatur. Quod cum ad abbatis notitiam præposito nuntiante pervenerit, uni de senioribus deputatus tandiu jubeatur advenientibus deservire, quousque devotio ejus fuerit patientia teste demonstrata. Sequitur, ut informetur disciplinis regularibus, et quæ facere debeat, quibusque eum conveniat servire cognoscat: deinceps omnis regulæ constitutio relegatur, et ad comprobandam obedientiam ejus, dura ei et aspera præcepta mandentur, nihil in proprietate de his quæ secum exhibuit habiturus. Sed si ejus votum tale est, ut quæ sua monasterii usibus conferre desideret, oblationem ejus ad integrum devotio sincera commendet, et super altare statuat; unde reposci aliquod sacrilegium judicatur. Si peccora cujuslibet generis ad monasterium commigraturus adduxerit, ab abbate pretium consequatur, cui de eodem pretio faciendi quod voluerit non negatur. Quæ si abbas noluerit comparare, cui voluerit vendere permittatur; aut, quod melius est, præposito vendenda committat: pretium vero ipsum,

ut jam dictum est, ab eo cujus res fuerant, dispenseretur, dummodo in ejus nihil potestate resideat. Nefas est enim ut qui decipulam hujus sæculi intendit evadere, reservet unde eum infestatio diabolica valeat irretire. Clientem vero, et famulum, aut parentem secum exhibens, si postulet in consortio religionis admitti, simili examinatione probatum fratribus convenit aggregari: et qui fuerat et ante in servitute subjectus, frater est in Domini positus servitio computandus: quia apud Deum, ut Apostolus docet, nulla est acceptio personarum (Col. iii). Ille tamen qui de humili conditione est in germanitatis æqualitate susceptus, non aliquo elationis timore superbiat; sed per humilitatem in eo quæ bona sunt convalescant: et non solum ei cui æqualis effectus est, sed fraternitati omni, ut verus famulus Christi, cum pietate et humilitate deserviat. Quia sicut is, qui major esse videbatur in sæculo, per humilitatis affectum frater vocatur et Domino; ita ille sui memor conditionem suam, non altiora petendo despiciat, sed testimonio humilitatis exaltet, ut apud Deum inveniat gratiam. Et nisi expleto anno nullus mutare habitam permittatur. Sed si postremis fuerit tanta compunctio, ut hoc sibi supplicatione assidua exigit non negari, quod uni fideliter poscenti conceditur, non quasi licitum habeatur. Vesti-

umenta quoque secum delata, quæ primi anni usus non valet expendere, redacta in pretium cui abbas præceperit, tribuantur: quia cum alia meruerit indumenta, priores exuviæ in sua non erunt potestate, ut exterioris hominis immutatio cum interioris profectu plena ratione conveniat. Nihil de his quæ perceperit ei sit licitum commutare, nec pro abjectione viliora, nec pro commodo meliora, sed qualiacunque fuerint attributa, cum gratiarum actione suo tantum usui vindicabit.

CAP. II. Nulli liceat sequestratam eligere mansionem, nec armariolum, aut aliquid simile, quod peculiariter claudi possit, permittatur quasi proprium vindicare. Viam solus, nisi comitatus fratris contubernio, non assumat. Revertentes ea quæ foris agi viderint, referre non audeant, nisi illa tantum quæ ædificent audientes. Posito seniore vereatur junior in præsumptionem loquacitatis erumpere: sed, ut sæpe contingit, si simplicioris naturæ fuerit senior, tunc junior quæ ei præcepta fuerint, exsequatur. Festivitate qualibet celebrem monachum, nisi permissum, non licebit expetere, quia orantem secretius palam Dominus, Evangelio adstipulante, est pollicitus se auditurum (*Matth. vi*).

CAP. III. Si quis vero a fratribus in quocunque negotio ad civitatem, aut ad castellum, sive ad vicum seniore imperante dirigitur, nisi ad illum, quo destinatur, non præsumat accedere. Spiritalem se fieri patrem sine abbatis imperio nullatenus acquiescat; sed si causa tantæ necessitatis extiterit, aut cujuscunque fidelis personæ precibus inclinatus interdita non valet effugere, quod contradicenti cognoscitur impositum, charitatis intuitu est omnimodis admittendum.

CAP. IV. Cum extranea muliere colloquutiones absque testibus canonum auctoritate legitima prohibentur; matrum et germanarum fabulis eos misceri secretius nullatenus concedatur: ne in ipsa novitate militiæ constitutos sæculari præsumptione subvertant. Et non a majore concessa licentia nullus qualibet parte discedat. Navigium etiam ad ulteriorem ripam sine imperio senioris transvehere non præsumat: nec capillos barbamque succidat, aut funiculum vel quodlibet aliud facere audeat, nisi hoc relaxatio senioris admittat. Vespertinis et nocturnis horis quibus fratres alii conquiescunt, qui a mansione aut lectulo suo deesse cognoscitur, corripientibus senioribus castigetur: et in ipsa quiete positus alteri non loquatur.

CAP. V. Qui signo dato, ad opus Dei vel ad quæcunque opera tardius venerit, exclusus pro reati tanti facinoris confundatur. Pro qualibet etiam culpa quamlibet aspera fuerit increpatione correptus, respondere nefas judicet arguenti, sed humiliando se emendationem delicti doceat secuturam: quia Deus humilibus daturum se gratiam repromisit (*I Petr. v*). Cum eo qui pro admissa culpa ab orationis vel a mensæ consortio removetur, præter eum qui ejecti fratris amaritudinem doctrinæ et charitatis possit

A admixtione dulcare, nullus audeat conferre sermonem.

CAP. VI. In vigiliis, dum lectiones cunctis residentibus releguntur, vel quando orationi incumbunt, Inrandi aut exeundi facultatem sibi nullus æstimet fuisse concessam. Qui vero communis necessitatis causa compellitur, psallentibus aliis sine cujusquam reatus timore discedat, continuo ad opus quod agitur reversurus. Et qui aliis orantibus vel psallentibus fabulari præsumperit, non solum fraternitati, sed etiam divinitati reum se esse non dubitet. Illud est etiam studendum, ne somnum manus otiosæ invitent: atque ideo hæc erunt opera in vigiliis facienda, quæ mentem non occupent, aut gravent operantis auditum, sed quæ soporis possint repellere torporem. Orationi autem et verbo Dei nihil est præponendum. Dominica vero nocte, pro reverentia resurrectionis dominicæ, manuum opera conquiescant: quod et certis solemnitatibus convenit observari.

CAP. VII. Meditantibus etiam fratribus nulli liceat rebus se aliis implicare; nec liberum judicet a schola, vel ubi meditantur fratres, discedere. Qui vero in hac præsumptione proruperit, excommunicationi, ut dignum est, subiacebit. Cellulam alterius, præter abbatem et præpositum, nisi dato signo est illicitum introire: quia ipsis tantum conceditur fratrum secreta cognoscere, et qualiter se unusquisque agat, occulta inspectione perquirere. Et ubi artifices operantur, absque suprascriptis personis, nullus præsumat accedere. Advenientibus quoque nihil præter humilitatis affectum et debitum famulatum junior exhibebit, et curam habere de causa, qua venerit, quandoque reversurus sit, non præsumat, quia hoc seniorum sollicitudo, non juniorum præsumptio, debet inquirere.

CAP. VIII. Increpare junior non audeat seniorum; sed si extra regulam aliquid fieri, aut factum esse cognoscit, abbati est aut præposito reservandum: ut correctione regulari, quod reprehenditur, corrigatur. Quæcunque ab aliquo absque testibus admittuntur, si ad abbatis notitiam pervenerit, secretius emendetur: si omnibus innotuerit, coram omnibus est reus admissi criminis arguendus. Qui cogitationum impugnationes consolationis suæ causa secretius confitetur, non oportet eum despici, nec aliis publicari, sed quantum in se est, blanda exhortatione foveri. Qui aliis secreta meditatione psallentibus inconvenienter fuerit locutus, regulariter arguatur. In quocunque ergo opere aut meditabuntur quæ sancta sunt, aut certe silebunt. Ad mensam loqui specialiter, nisi qui interrogatus fuerit, non præsumat. Quod vero necessarium victui fuerit, præpositum decet agnoscere: et quod secundum consuetudinem deest, secretius jubeat ministrari. Sedentes ad mensam lectionem quæ legitur cum silentio audiant: si vere defuerit persona lectoris, ad instar cibi sanctarum Scripturarum meditatio ruminetur: ne escam tantum corpus accipiat, sed et verbo Dei anima partatur esuriens. Orationibus vacate horis et tempo-

ribus institutis, psalmis et hymnis cum Dominus A exoratur, ea plantentur in corde, quæ proferuntur in voce. Arator stravam tenens Alleluia cantet; sudans messor psalmis se avocet; et dum palmitem curvum tondet vinitor sa'ce, aliquid Davidicum canat. Hæc sint vestra carmina; hæc, ut vulgo aiunt, amatoricæ cantiones: hæc pastorum sibilus; hæc instrumenta culturæ. De his, quæ hujus sæculi homines agunt, nihil curæ sit monachis; sed meditatio cordis eorum in timore Domini sit intenta.

CAP. IX. Omni tempore duabus horis in die spiri- tuali meditationi vacabunt. Æstatis vero tempore matutinis ex more completis, et prima dicta, omnes opera quæ jubentur assumant. Deinde tertia celebra- ta, ad expedienda quæ suscepta fuerant, rever- tantur: nec colloquutione quarumcunque fabularum B sæcularium occupentur; nisi fortasse hoc proferat sermo relatoris, quod animam ædificet audientis. A sexta quoque hora usque ad nonam vacent quieti vel etiam lectioni. Post horam vero nonam, aut in horto, aut ubi poseit utilitas, usque ad horam lucernarii omnes in unum solatium commodabunt. Hiemis vero tempore, matutinis vel prima trans- actis, omnibus usque ad tertiam vacare conceditur lectioni. Qua consummata, gratanter quod eis injun- ctum fuerit, implere festinent, ut jam dictum est, usque ad horam lucernarii. Hi vero qui deputati esse videntur culturæ, hac observatione constringi pro operis assiduitate non possunt: sed ut tempus exe- gerit, aut labor eorum opera injuncta monstraverit, sic consideratione præpositi gubernentur, binis et C ipsi horis lectioni nihilominus vacaturi. Quando mes- ses et vindemiæ colliguntur, bis in die, id est hora sexta et duodecima, refectionem accipiant. Quarta vero vel sexta feria ita moderari opera debent, ut, si fieri potest, statuta jejunia non omittant. Sed universa, prout utilitas aut labor exegerit, ita senio- ris judicio disponantur. Nemo tamen extra monaste- rium manducet aut bibat: hoc enim Regulæ non recipit disciplina, ut vel poma vilia resumantur: equam ipsam ante refectionem legitimam bibere non præsumant.

CAP. X. Quando panes faciunt, vel in omni mini- sterio corporali, laborem suum mutuo relevabunt; et quamlibet cuicumque operi esse videantur intenti, orandi et psallendi tempora non omittant: ut dum D escas eligunt præparare carnales, spiritaliter verbo Dei et bonæ conscientiæ meditatione pascantur. De quo tamen opere nullum deesse convenit, nisi quem retentat infirmitas; aut quem præpositus in alia causa præceperit occupari. Ad cellarium vero talis ordinetur abbatis judicio, vel consilio seniorum, non qui voluntates aliquorum, sed necessitates omnium cum timore Domini et fratrum dilectione conside- ret: cui tamen, absente præposito, concors ohe- dientia præbeatur; et ubi utilitas poposcerit, sola- tium non negetur.

CAP. XI. Provisores monasterii tales oportet eligi, vel ordinari, qui alios ædificare vitæ suæ probentur

exemplo, quique eleemosynam monasterio deputa- tam, vel ea quæ a fratribus colliguntur, summa cura pro Domini timore conservent. Quia si crediam sibi famulorum Dei negligit servare substantiam, sicut ait quidam Patrum, lædit Deum, et dispergens eam, rationem est Domino redditurus. Quæ vero ipsis fue- rint pro Dei amore donata, in oblatione monasterii adjuncta omni congregationi proficiant. Qui aposto- licam vitam optamus eligere, cur quasi propria vin- dicemus, quæ novimus continuo peritura?

CAP. XII. Hortulanus ita debet constitui, ut et præpositi et cellarii solatio sublevetur. Et quia ole- rum beneficiis cellaricæ juvantur expensæ, oportet ut secundum dispensationem cellarii expendantur pariter et colantur. Ferramenta quoque omnia, et reliqua utensilia ab utraque persona convenit cus- todiri: ita tamen ut unicuique quod consignatum fuerit, cum diligentia et summa strenuitate custo- diat; et nullus de alterius cella quod ad eum non pertinet, sine voluntate ejus in cujus datum est pote- state, præsumat auferre. Quod qui facere nefanda auctoritate præsumperit, quia pro minimis rebus scandala generare non metuit, omni congregationi reus esse, dum prætermittit Regulam, doceatur. Nec quis sibi diei opus eligat faciendum, quod tamen constare debet in arbitrio senioris, ut quod utile per- spexerit judicio suo imperet faciendum. Nullus mur- murando aliquid faciat, ne quorum sequitur exem- plum, consequatur exitum. Nulli liceat ad parentes frequentius commeari: illi tamen personæ, quæ de proximorum salute probatur esse sollicita, certis qui- bus ve temporibus requirendi aditus relaxetur. Quem tamen vehementer cavere decipulam sæculi conve- nit; ne dum alios putat posse acquirere, seipsum a Domino faciat alienum.

CAP. XIII. Ad convivium nuptiale nullus accedat: ne per lasciviam sæcularium quæ sunt sæculi reco- gnoscat; et, quod absit, ad mundi hujus vitam, etsi non corpore, animo révocetur, sicut dixit beatissimus Cyprianus: *Adulterium dum videtur, et discitur Qui (Ephes. v). joculari aliquid vel risui aptum in conventu fratrum proferre præsumperit, vel qui cum junioribus verba otiosa narrare voluerit, aut habere amicitias ætatis infirmæ, increpationi, ut dignus est, subjacebit. Si quis quælibet invenerit, D inventa non celet, et cognoscenda non occultet. Quod si reperto unius diei spatio convincitur reten- tasse, furti contagio se maculatum esse cognoscat. Si quis eum, qui distriktionem monasterii non fe- rens, fugam meditari agnoverit, si non statim pro- diderit, perditionis illius participem se esse non du- bitet; et tandiu est a conventu fratrum sequestran- dus, quandiu ille valeat revocari. Si quis hæc non omni virtute studuerit Domino placitura servare, et semel ac secundo correptus non emendave- rit, reprehensa juxta ætatis formam convenit vindicari.*

CAP. XIV. Hæc sunt quæ in monasterio constituta pro Dei amore et timore convenit observare. Propter

quod in unum estis pro timore Domini congregati, oportet ut in domo Domini unanimes habitetis, et sit vobis anima una, et cor unum in timore Domini pervigilans; nihilque habere vos proprium reputetis, sed sint vobis cuncta communia, quæ vobis abbatis imperio dispensentur, non æqualiter omnibus, sed sicut ratio dispensationis, aut causa infirmitatis exegerit; unicuique tamen, secundum quod opus fuerit, tribuatur: sicut in Actibus apostolorum legimus: quia erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique, sicut cuique opus erat (Act. iv). Qui enim aliqua habuerint in sæculo, quando expetere monasterium meruerint, libenter tradant omnibus profutura; studentes, ut cum dimiserint facultatem, ipsam simul concupiscendi exquant voluntatem: et cum dimittitur possessio, abjiciatur et passio. Qui autem non habuerint, turpe est ut quærant quæ se non recolunt reliquisse. Et non ideo æstiment se felices, quia invenerunt in monasterio quod foris invenire non poterant: nec superbiant, quod sociantur eis, ad quos ante accedere pro divitiarum ubertate, aut pro natalium splendore non poterant: sed sursum cor habeant, et quæ sunt caduca vel cursu celeri peritura non quærant. Ubi autem divites humiliantur, pauperes non inflentur: ne incipiant monasteria utilia plus esse divitibus, quam egenis. Nam et illi qui locupletes videbantur in sæculo, fratres ad sanctam societatem ex paupertate venientes non fastidiose suscipiant: sed talium personarum societate et contubernio gratulentur. Nec ob hoc extollantur, si ad juvandas fraternitatis expensas quamcunque facultatum suarum particulam contulerint; et inde postmodum cadant, unde prius ascendere cupiebant. Quid prodest opes dispergere, et pauper fieri pauperibus erogando, si anima misera superbior efficiatur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? Omnes ergo in unanimitate perstantes honorate in vobis Deum, cujus templa efflci meruistis. Imprimis diligamus Deum tota virtute animi, deinde proximum: ista enim nobis sunt præcepta specialiter data. Abbati post Deum impendatur honor, et reverentia reservetur: præposito, sicut Dei servos decet, plena dilectio et concors obediencia componatur.

CAP. XV. In oratorio præter orandi et psallendi cultum penitus nihil agatur, ut nomini huic et opera jugiter impensa concordent: ut si aliquis præter constitutas horas Domino supplicaturus ingreditur, votum suum occupatio aliena non tardet. Nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum. Carnem vestram mortificate per abstinentiam, domate jejuniis atque vigiliis; animam vero vestram nitore bonæ conversationis abluite.

CAP. XVI. Si attenuatus abstinentia frater non valuerit jejunia suscepta portare, nisi prandii hora completa, aliquid accipere iudicet indecorum. Illi vero qui incommodo detinentur, et designatas horas non possunt custodire, licite concedatur; percipiant quando possunt. Nec debet aliis molestiam generare,

si largior illis fuerit victus impensus; qui in conversatione sæculari sumptuosius tractabantur; atque ob hoc non beatiore æstiment se videri, quos facit aut natalium mediocritas, aut consuetudo alia fortiores. Nec feliciores iudicent quibus in infirmitate præstatur quod sanis pro observantiæ rigore subtrahitur: et si eis quos parentes delicatius aluerunt victus aut vestimenta largius tribuantur, non ob hoc debet commoveri fraternitas, quod fortioribus corpore pro constitutione regulæ denegatur, quod illis charitatis consideratione tribuatur: quia debet esse respectus quanta amore religionis contempserint, cuique se abjectioni divina inspiratione submiserint. Nec debet supra memorata præsumptio paucis impensa ab universitate quasi canonica reputari. Æquum namque non est, ut in beata habitatione, ubi inclinantur divites, pauperes erigantur. Same inæqualitate constricti, ita sunt tractandi, ut vires incommoditate confectas velocius præstatio larga corroboret: nec in infirmitate manentibus discretionem vietus afferat distantia personarum. Qui tamen cum integram fuerint virtutem corporis assecuti, consuetudinariis habenis abstinentiæ teneantur; quia decet famulos Dei boni operis consuetudinem non minuere, sed augere.

CAP. XVII. Non sit notabilis habitus vester, nec intendatis vestibus placere, sed moribus. Cum autem proceditis, simul incedite. Cum ad optatum locum, custodiente Domino, perveneritis, in unum fraternitas cuncta subsistat. In incessu, in statu, in omni corporis motu nihil indecens videatur, quod intendentis offendat aspectum; sed illis operam date, quæ vestræ conveniunt sanctitati.

CAP. XVIII. Oculi vestri, si in quacunque parte porrecti, vultum incurrerint feminarum, animus tamen Deo deditus nulla concupiscentiæ macula polluitur. Procedentes ergo, quia non prohibemini, nec valetis contemplationem effugere feminarum, appetere tamen et ab ipsis appeti velle crimen est. Nec solo tactu et affectu, sed aspectu quoque concupiscentia incurritur feminarum: nec statuat habere vos oculos pudicos, si geratis animos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Qui autem in femina libidinis conscia convertit aspectum, non æstimet latere quod mens peccatis gravata concepit. Sed fac certum esse quod lateat, ut a nullo proisus homine videatur, quid de illo faciet inspector, quem secreta non fallunt, quem occulta latere non possunt? Ille ergo vir sanctus Deo timeat displicere, cui fidelem famulum se cupit ostendere: cogitet, ne animo suo feminas male placituras insinuet: metuat eum omnia videre, cui humanus actus nihil valet occulere. Illius ergo timor præsens jugiter habeatur, de quo scriptum est: *Abominatio est Domino defigens oculum (Prov. xvi)*. Quando ergo simul estis in ecclesia, aut in quocunque loco, ubi esse possint præsentibus et feminæ, singuli de omnibus curam gerentes vestram studiose pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, adhibita huiusmodi solli-

citudine, vos dignabitur custodire. Et si hanc, de qua A
 inquit, oculi petulantiam in aliquo vestrum quis ad-
 verterit, statim monete, ut de proximo corrigatur.
 Nec se putet malevolum, quando hoc indicat; et
 ideo debet publicari qui ejusmodi est, ne in deterius
 crescat. Si vero admonitus emendare neglexerit,
 abbati est indicandum, ut ab ipso emendatoriam
 subeat disciplinam. Si autem nec sic emendaverit,
 quasi ovis morbida a vestra societate projiciatur, ne
 exemplo suo alios perdat, ita enim de cupiditatis
 vitio est inquirendum, ut cum hoc vitio agnoscitur
 quis laborare, castigetur a plurimis, cum dilectione
 proximi et odio vitiorum.

CAP. XIX. Qui vero litteras vel munuscula cujus-
 cunque accipere præsumperit, si non statim, a
 quo accepit, et quæ accepit publicaverit, districtiori B
 severissimæ subjacebit. Illa vero quæ transmissa sunt,
 peregrinis et ignotis deputabuntur, aut certe incen-
 dio cremabuntur. Sane si quis suis filiis, vel aliqua
 ad se necessitudine pertinentibus aliquid contulerit,
 in rem communem redactum, cui necessarium fuerit
 tribuatur. Si vero cui transmissum est, abbas præ-
 ceperit dari, tanquam reliqua fidelium munera cum
 gratiarum actione percipiet. Observandum est etiam
 ne interioris animæ sordes contrahat vestis mundæ
 nimius appetitus. Quapropter secundum præpositi
 sunt ordinationem lavandæ. Quæ tam simplici erunt
 et nativo colore procurandæ, ne disparilitas vestium
 nutriat arrogantis vitium: et ita sunt indigentibus
 tribuendæ, ne vitio avaritiæ reservatæ, providendis
 singulis detur audacia. Si quis vero his negligenter C
 expetenda putaverit, præpositi sit cura, ut inter-
 versor rerum monasterialium corrigatur. Ante om-
 nia procurantes, ut lites nullas habeatis; si autem
 diabolo instigante factæ fuerint, celeri satisfactione
 sanentur; et inde proferantur remedia, unde facta
 sunt vulnera; nec occidat sol super iracundiam ve-
 stram (Ephes. iv). Consuetudinem jurandi abjicite.
 Sit sermo vester, est est, non non; quia, sicut
 Dominus ait: *Quod his abundantius est, a malo est*
 (Matth. v).

CAP. XX. Femine vestrum non frequentent habi-
 taculum, sed cum pro devotione sua, vel pro amore
 religionis vestræ expetierint monasterium, non eis
 concedatur interiores monasterii januas introire, sed
 in oratorio, aut in hospitali domo reddatur illis ho- D
 nor et gratia: non expectationis causa, sed pro
 constitutione regulæ vel monasterii disciplina.

CAP. XXI. Infirmis quoque, vel aliqua inæ-
 qualitate laborantibus satis fidelis et strenua debet
 persona præponi; quæ et ægrotis cum pietate ser-
 viat, et monasterialem disciplinam regulariter con-
 stodiat, et quæ conveniunt infirmis, rationabiliter
 expendat.

CAP. XXII. Qui cellario vero vel codicibus præpo-

nuntur, sine murmuratione serviant fratribus. Co-
 dices qui extra horam petierint, non accipiant; et
 qui apud se habuerint amplius quam constitutum
 est, retinere non audeant. Hæc in nomine Christi
 agentes, scitis vos proficere, et cum suavitate et
 quiete in monasterio perdurare. Quando autem ne-
 cessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos
 verba dura compellit, etiamsi in ipsis modum exces-
 sisse vos fortasse sentitis disciplinæ; non a vobis
 exigitur, ut veniam postuletis: ne apud eos quos
 oportet esse subjectos, dum nimium servatur humili-
 tas, regendi frangatur auctoritas. Tamen petenda
 venia est ab omnium Domino, qui novit etiam eos
 quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia
 diligatis. Caritas enim, de qua scriptum est, *quia*
non quærit quæ sua sunt (I Cor. xiii), etiam hic in-
 telligitur custodiri: quia dum alienam vituntur hu-
 miliare superbiam, quantum desiderant non possunt
 humiliari personas. Quia non carnalis, sed spiritualis
 inter vos debet esse dilectio; et ideo de omnium sa-
 lute diligentius cogitate: quia de commissis sibi ani-
 mabus unusquisque redditurus est Domino rationem.

CAP. XXIII. Præposito specialiter obediatur, multo
 magis abbati, qui vestrum omnium curam gerit, quia
 qui illos spernit, spernit eum qui dixit: *Qui vos audit,*
me audit, qui vos spernit, me spernit (Luc. x). Ut
 ergo cuncta ista servantur, et si quid servatum non
 fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendan-
 dum corrigendumque curetur, ad præpositum præ-
 cipue pertinebit; ut ad abbatem, cujus est apud vos
 major auctoritas, referat, quod modum vel vires
 ejus excedit. Ipse vero qui vobis præest, non se æ-
 stimet potestate dominante, sed charitate serviente
 felicem; honore coram vobis prælatus sit, coram
 Deo subditus sit pedibus vestris. Circa omnes seip-
 sum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat
 inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infir-
 mos, patiens sit ad omnes: disciplinam libens ha-
 beat, metum imponat. Et quamvis utrumque sit ne-
 cessarium, tamen plus amari appetat, quam timeri:
 semper cogitans Deo se pro vobis redditurum ratio-
 nem. Unde vos magis obediendo non solum vestri,
 sed etiam ipsius miseremini; qui inter vos quantum
 in loco superiori, tantum in periculo majori versatur.

Donet Dominus ut observetis hæc omnia cum di-
 lectione tanquam spiritualis pulchritudinis amatores,
 et bono Christi odore de bona conversatione fra-
 grantes: non sicut servi sub lege, sed sicut liberi
 sub gratia constituti. Ut autem vos in hoc libello tan-
 quam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem
 aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur.
 Et ubi vos inveneritis ea quæ scripta sunt facientes,
 agite Deo gratias, bonorum omnium largitori: ubi
 autem sibi quisque vestrum videat aliquid deesse,
 doleat de præterito, caveat de futuro; orans ut de-
 bitum dimittatur, et in tentationem non inducatur.

DE CUJUSDAM PATRIS REGULA

VETERUM TESTIMONIA.

S. Benedictus Anianæ abbas in Concordia Regula-

rum sæpissime hanc Cujusdam Patris Regulam ad

monachos scriptam laudat, ut et aliam ad virgines: A quamvis ipse eas non distinguat, sed utramque promiscue Regulam Cujusdam appellet, vel Regulam Cujusdam Patris, ut cap. 8, § 7. et alibi.

Smaragdus quoque monachus, in commentario ad Regulam S. Benedicti, subiinde ex hac Cujusdam Patris Regula testimonia affert.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUEMTEM.

Sub hoc obscuro titulo duplicem habemus Regulam, unam pro viris, alteram pro sacris virginibus, nec ullius auctorem scimus; quancis unus idemque utramque Regulam scripsit. Et quidem, sub hoc etiam incerto titulo, S. Benedictus Anianus in sua Regularum Concordia, atque Smaragdus hanc Regulam sæpius citare solent; prout hic notavit Holstenius. Asperior autem reliquis hæc regula 32 capita complectens, præsertim in monachos inobedientes vel murmurantes; imo perpetuum jejunium præcipiendo, atque præcepta durissima filiis suis imponendo. Hinc sæpe laudatus Calmetus existimat illam a monachis Scotis olim usitatam, præsertim in monasterio de Benchor, ubi S. Columbanus educatus erat; cum S. ille abbas eamdem divini officii distributionem monachis suis Luxoviensibus præscribat. Et quidem hanc Regulam pro Scotis monachis scriptam agnoscimus; ibidem enim rigida Scotorum disciplina continetur, quæ omnibus hodiernæ Scotiæ et Hiberniæ cænobiiis communis erat, adeoque non unico specialis. Quisquis enim ordinem monasticum in monasterio Culrosensi olim usitatum rite attendat, tunc inveniet longe ante S. Comgelli et S. Columbani tempora hanc rigidam disciplinam apud Scotos monachos viguisse. Sic ex vita S. Kentigerni, olim monachi Culrosensis, et postea in Scotia episcopi Glasguensis discimus, illum nutritivisse 900 monachos solo pane et aqua, nec lactici-
nia adhibuisse, nisi diebus dominicis et festivis. Deinde Angli borrales in Lindisfarnensi cænobio a Scotis monachis Christiano dogmate et monastica vita instructi, ab esu carniæ et vini ac cerevisiæ potu abstinebant, solo lacte aqua mixto contenti, donec Ceolulfus rex Northumbriæ, ibidem factus monachus, suis confratribus moderatum vini et cerevisiæ usum procuravit. Pari modo discurrendum est de perpetuo jejunio ubique apud

ipsos usitato, prout ex laudato ordine monastico Culrosensi omnino patet. Adeoque mirum non est, quod Ratramnus Corbeiensis monachus, sæculo nono contra Græcos scribens, perpetuum Scotorum monachorum jejunium commemorat; cum S. Columbanus in sua Regula, cap. 3, præcipiat: Ut cibus sit vilis et vesportinus monachorum.... Ergo quotidie jejunandum est, sicut quotidie orandum est. Cum igitur certum sit, in omnibus Scotorum monachorum cænobiiis rigidissimam vivendi normam olim excultam fuisse; sic hanc præsentem Regulam S. Columbæ, monachorum Scotorum patriarchæ, ascriberem, qui unus et unicus inter plures vitæ monasticæ legislatores archimandrita appellari potest; ut pote centum monasteriorum conditor, et cunctæ disciplinæ monasticæ per hodiernam Scotiam et Hiberniam, si non auctor, saltem reparator. Iste enim est archimandrita ille de quo S. Columbanus cap. 7 Regulæ ait: Sub uno archimandrita mille abbates esse, quibus duodenarius psalmorum numerus quaternis vigiliis nocturnis communis erat. Nec in dubium vocari potest quin inter tot Columbina monasteria apud horrida montium juga plerumque sita, quædam in adeo sterilibus locis erecta sint, ut vix grana frumenti pro alimento sufficerent, et sis promiscuum lacticiniorum usum admittre debuit Regula, quemadmodum et pro potu ordinario lac aqua mixtum, prout cap. 22 conceditur, et etiamnum hodie in sterilibus hodiernæ montanæ Scotiæ regionibus practicatur. Adeoque veritati proximum est, quod hujus Regulæ auctor existiterit S. Columba, abbas Hyensis cænobii, et monachorum Scotorum verus patriarcha et archimandrita, de quo ven. Beda in sua Historia ecclesiastica scribit, multaque in ejus discipulorumque laudes profert.

REGULA CUJUSDAM PATRIS.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS D
SANCTI.

I. Caveat lector bonus, ne suo sensui obtemperet Scripturas, sed Scripturis sanctis obtemperet sensum suum. Calix passionis amarus est, sed omnes morbos penitus curat. Calix passionis amarus est, sed tamen prior bibit medicus, ne bibere dubitet ægrotus. Oportet namque illum qui alterius vulnera mederi cupit, ab omni languoris morbo alienum sanumque subsistere. Nullo alio vitio diabolus monachum perdit, ac trahit ad mortem, quam cum eum neglectis seniorum consiliis suo iudicio defensionique conspexit confidere.

II. Primum omnium Deus timendus et diligendus est ex totis viribus (Luc. x): et proximus magnopere diligendus est, secundum mandatum Domini.

III. Deinde virtus obedientiæ expetenda est, et secundum vires uniuscujusque exercenda est: et ad primum verbum senioris omnes, qui audierint ex fratribus, assurgere oportet: et qui non surrexerit, veniam petat, et pœniteat, quantum judicaverit senior; et impleat quod jussus est, licet durum videatur. Obedientia usque ad mortem facienda est, secundum exemplum Domini, obedientis Patri usque ad mortem (Phil. ii). Et unumquemque oportet fratri suo servire, sicut abbati proprio vel patri: sicut